

20.328

Foll. 20.328

fol. 20.328

Nota 2. Mat. et 2. cum  $\frac{1}{2}$  vesp.

John G. Ball et al. v. ...  
No. 100

RECEIVED

1852

PLACITA  
PHILOSOPHIÆ THOMISTICÆ

QVÆ

PUBLICÆ DISPUTATIONI EXPONIT

Fr. IACOBVS VILLANVEVA,

SACRI ORDINIS PRÆDICATORVM

ET ORCELITANI PATRIARCHALIS COLLEGII ALVMNVS.

PRÆSIDE

R. P. F. IOANNE GOST,

EIVSDEM ORDINIS, ET IN EODEM COLLEGIO

PHILOSOPHIÆ LECTORE.

*Locum parabit florentissima Orcelensis Academia.*

*Die 17. mensis Decembris, anni*

*MDCCLXXXIII.*



MURCIAE:

---

APVD VIDVAM PHILIPPI TERVEL.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
DEPARTMENT OF THE HISTORY OF ARTS  
OFFICE OF THE CURATOR  
MUSEUM OF THE HISTORY OF ARTS  
5709 S. UNIVERSITY AVENUE  
CHICAGO, ILLINOIS 60637

THE HISTORY OF ARTS  
MUSEUM

THE HISTORY OF ARTS  
MUSEUM  
5709 S. UNIVERSITY AVENUE  
CHICAGO, ILLINOIS 60637



D. THOMÆ. AQUINATI.  
CHRISTIANORVM. PHILOSOPHORVM. PRINCIPI.  
OB. SCRIPTA. PRÆSERTIM PHILOSOPHICA.  
MAGNO. ECCLESIAE. BONO. EDITA.  
OB. COMMENTATIONES. LIBRORVM. ARISTOTELICORVM.  
DE. INTERPRETATIONE. POSTERIORVM.  
PHYSICORVM. DE. COELO. ET. MVNDO. DE. GENERAT. ET. CORRVP.  
METEORORVM. DE. ANIMA. DE. SENSV. ET. SENSILI.  
DE. MEMORIA. ET. REMINISCENTIA. DE. SOMNO. ET. VIGILIA.  
ETHICORVM. POLITICORVM. ÆCONOMICORVM.  
XII. PRIORVM. METAPHYSICORVM.

Q V A S.

ARIST. VERBIS. DILIGENTISSIME. EXPENSIS.  
SENSIS. FIDELITER. REDDITIS.

C O N T E X T V.

PARTITO. DISTRIBVTO. CONNEXO.  
HIVLCA. EXPLENS. COMPLICATA. APERIENS.  
CONFVSA. DISTINGVENS. MVTILA. SARCIENS.  
PROFLIGATIS. PHILOSOPHI. ERRORIBVS.  
DVBIIS. BENIGNE. INTERPRETATIS.  
AVERROE. CVM. RELIGIONI. OFFICIT. PROSTRATO.  
HAVSTIS. ALEXANDRI. IOANNIS GRAMMATICI. SIMPLICII.  
COMMENTARIIS.  
EX. FONTIBVS. IPSIS.  
BONARVM. LITTERARVM. INSTAVRATOR.  
VRBANO. IV. PONTIFICE.  
ROMAE. MAGNA. AVDITORVM. FREQVENTIA.  
PROFESSVS. EST.

EXPOSITORI.

CVRIOSISSIMO. VBERRIMO. CLARISSIMO.  
LATINORVM. PRIMO. ET. MAXIMO.  
MAIORI. ARABIBVS. NON. MINORI. GRÆCIS.

OB.

OB. LIBROS. ETIAM. DE. ENTE. ET. ESSENTIA.  
NOBILISSIMOS. NITIDISSIMOS. PVLCHERRIMOS.  
GRÆCIS. ET. LATINIS. LITTERIS. COMMENTATOS.

OB. MIRABILE. OPVS. DE. PRINCIPIIS.

N A T V R Æ.

CLAVIM. PHYSICÆ.

OB. ÆGREGIVM. ILLVD. DE. REGIMINE. PRINCIPVM.

CEDRO. LINENDVM. CVPRESSO. LEVI. SERVANDVM.

OB. ALIAS. ITEM. LVCVBRATIONES. PHILOSOPHICAS.

HINC. INDE. IN. SVIS. OPERIBVS.

GEMMARVM. INSTAR. SPARSAS.

PHILOSOPHO.

PRÆSTANTISSIMO. SANCTO. ANGELICO.

OB. CAPTIVATAM. IN. OBSEQVIVM. CHRISTI. PHILOSOPHIAM.

SOLI. NOSTRO.

CVIVS. LVCE. NOVAS. PHYSICORVM. OBSERVATIONES.

DETEGERE. ILLVSTRARE. NOSTRAS. FACERE.

ATQVE. PHILOSOPHANDI. LIBERTATEM.

COERCERE. POSSVMVS.

PRÆCEPTORI. OPTIMO.

IN. SVÆ.

DEVOTIONIS. FIDEI. AMORIS. GRATITVDINIS.

PERPETVVM. TESTIMONIVM.

H. T. D.

*Fr. IACOBVS VILLANVEVA.*

# LECTORI

S.

**H**odierna litterarum lux tantopere jactata, quæ tenebrarum instar, Aristotelis Philosophiam obscuravit, et invisam orbi pene universo reddidit, nondum utique potuit nos in transversum agere; propterea quod in Philosophum intuemur et oculis D. Thomæ, et radiis Theologiæ, et luce Fidei. Itaque contemptorum censura posthabita, spretis apparentium eruditorum conviciis, temporum injuria nihil moti, et veteri tanquam scopulo adhærentes, doctrinam Peripateticam medium in agmen producimus, et alacri, erectoque animo ad **V**ostram conscendimus. Neque id arroganter dictum existimetur, quasi nobismet ipsis fidamus. Spem erigunt, atque animos addunt arma, quibus dimicamus: causa, cujus patrocinium suscipimus: Auctores, quorum scripta nocturna, diurna que manu versavimus: scholastica methodus, quæ fructus longe uberrimos tota retro antiquitate edidit; quotidiana, vel potius continua Collegii nostri, atque Universitatis exercitatio: verbo; syllogismorum usus; quascumque in nos injiciant tragulas qui memoriæ periculum in studiorum suorum ratione facere malunt.

Hæc sunt scholæ ossa, et nervi, sine quibus neque robur menti inest, neque sanitas judicio, neque soliditas ingenio, neque firmitas scientiis, neque propugnaculum veritati. Ecquis enim probabit unquam eorum ignaviam, qui ne ignorantia arguantur, contendere ausi sunt, non debere qui negat objectiones dissolvere, dummodo partem adversam impossibilem esse demonstrarit? Et tamen, si superis placet, id contendere ausi sunt, qui inter recentiores Philosophos celebratissimi habentur. (1) Hinc publicæ studentium exercitationes, quæ more majorum institutoque habentur, sublata passim concertatione in quasdam veluti recitationes evasere. (2) Hinc juvenes Geometrarum more disciplinis philosophicis instituti, cum arte cognoscendi sophismata careant, cum careant exercitio; contradicentibus nihil prorsus habere solent quod respondeant, et, quod dolendum est maxime velut arundines quædam in quamcumque partem inclinantur. (3) Hinc qui libertatem Philosophicam crepant, prima quidem facie mirifici videntur naturæ indagatores, ac veritatis judices; sed cum ad manus et pugnam res venit, riteque disputandum

(1)  
Vide Ros-  
sell. tom. I.  
pag. 104.  
notat. 5.

(2)  
Jac. Fac-  
ciol. in Pa-  
rænesi ad  
juventutē  
Logicæ ar-  
tis studio-  
sam.

(3)  
Vide Ro-  
sell. tom. I.  
pag. 659.  
not. 1.

(4)  
Jac. Fac-  
ciol ibid.

dum est ; palam apparet quantuli sint. (4) Viam ergo tritam terimus, et veterum vestigiis insistimus, putamusque consilium nostrum probatum iri omnibus, qui suo in his rebus iudicio uti possint. Hæc fidentius proferimus, ex quo in lucem prodire cœpit Revv. P. F. Salvatoris Mariæ Roselli summa Philosophica, cujus ope videmur nobis quasi divinare Aristotelem iterum in scholis regnaturum. Deus bene prosperet incolumenque servet, sapientissimum hunc ac gravissimum virum, qui summo Ecclesiæ bono Philosophiam Peripatheticam latinis litteris illustravit, eique pristinum honorem restituit: Scepticos, Atheos, Theistas, et Incredulos debellavit, devicit, dejecit, prostravit, profligavit: Philosophos cæteros Peripatheticæ scholæ insultantes suis, et D. Thomae ratiociniis, atque priscorum Ecclesiæ Patrum auctoritatibus in eas angustias conjicit, unde nulla datur emergendi facultas. Ab eo desumpsimus theses has principes initio positas quæ adversus Neutonum nonnullosque alios Licæi adversarios, qui post Goudinum florere, Peripathetico sustinendæ sunt. Reliqua ex Goudiniano opere expressimus, quod, ceu publicam apud nostrates philosophandi formam, memoriæ mandavimus. Porro adprime novimus, quam sit Philosopho necessaria tum Arithmeticæ, tum Geometriæ cognitio. Nobis nec tantum otii, nec tantum temporis fuit ut profundiora hujusmodi scientiarum perscrutari potuerimus. Attamen non penitus sprevimus, sed primis saltem notionibus animum informare curavimus. Sic institutis facile fuisset tum demonstrationes, tum responsiones mathematicas polliceri. Sed cur plus promittere quam præstare audeamus? Id quod in concertationibus hujus generis usu venire solet. (5) Nolim, quispiam de se dictum putet; sed non pauci pollicitis sese divites fingunt et fruuntur fama sine experimento comparata. Quis erit unus, inquiunt, ingenii tam difficilis, ut fidem publicè datam sibi inter omnes exolveret? Alii non intelligunt, alii disimulant; acceditur ad palæstram, disputatio instituitur, concio dimittitur officiis corrogata, neque cogitans quid dictum fuerit, modo aliquid dictum fuerit. Nos qui fucum aversamur; nosque introspicimus, et fundi nostri angustias metimur; illa tantum pericula subimus ad quæ, et publicis, et privatis studiis parati esse potuimus. VALE.

(5)  
Vid. Fac-  
ciol a cro.  
3. in pro-  
em.

PP.





PP. PP.

**D**ilosophandi libertatem nobis ademptam, clamitant nonnulli qui re, licet non verbo, jurant in sententias aliorum. Nos, quoniam ad veritatem, tamquam ad præcipuum scopum animum intendimus; uni sectæ adhærendum putamus.

Amplectimur Aristotelicum systema, prout à fulgentissimo Ecclesiæ sole D. Thoma Aquinate exponitur.

Newtonus tres regulas excogitavit, quibus rectè philosophari posse arbitratur: eæ tamen, nec universim veræ sunt, nisi explicentur; nec Philosophiæ naturali plurimum conferunt.

Repugnat, partes materiæ ita disponi, ut fiant percipiendi capaces.

Monades, sive atomi naturæ, ut à Wolfio, et Leibnitio ponuntur, non sunt prima principia rerum.

Newtoni particula primigeniæ, ut ab ipso ponuntur, neque dantur, neque si darentur, possent esse prima rerum principia.

Palingenesiam sive plantarum, sive animalium, multoque minus hominum, numquam ab arte præstari posse, censemus.

Inertiam, sive resistentia passiva corporum non ab una impenetrabilitate oritur, ut voluit Newtonus, Newtonianique; sed à diversis causis.

Repugnat, spatium esse Dei attributum, sive Divinam immensitatem.

Fictitia est Newtoniana attractio, sive ad magnas, sive ad minimas distantias.

Ad hanc mutuam attractionem Newtonus excogitavit quasdam leges, quæ quidem nec universim veræ sunt, neque coherent cum ipsius principiis.

Admittendæ non sunt vires centrales, in sensu Newtonianorum, neque si admitterentur, conferre possent ad explicanda phœnomena in corporibus Coelestibus.

Gra-

## II

Gravitatem eorundem corporum ubique terrarum non eandem esse, dicunt PP. RR. falso tamen.

Newtonus ad motus phœnomena explicanda, quasdam excogitavit leges, quas tamen non satis constare afirmamus.

Itaque assignabimus ex ratione veras leges generales motus.

Pantheistarum commentum de Mundo Deo manifestam absurditatem, et contradictionem involvit.

Fictitium est systema Keplerianum de causa motrice astrorum.

Nec etiam Newtonianum systema veram assignat coelestium motum causam.

Ergo cum S. Thoma dicendum, corpora cœlestia moveri ab intelligentiis.

Electrica phœnomena minus rectè explicantur sive per sola effluvia prodeuntia à corporibus vexatis, sive per solam vibrationem atmosphæræ, mutatumque aëris æquilibrium, sive per ignem ubique diffusum, sed verosimiliter explicari possunt per exhalationes quæ sunt in aëre, et circum corpora vexata, et per motum accenduntur.

Æstus maris explicari nequit, neque ex telluris motu, sive diurno, sive annuo, neque oritur à motu maris ab ortu in occasum; sed pendet ab actione Lunæ, & aliquatenus etiam solis, quæ tamen actiones non rectè explicantur per pressionem materiæ vorticose Cartesianæ; neque per gravitatem Newtonianorum.

Lucem corpus esse negamus; qualitatem esse propugnamus.

Theoria Newtoni circa colores, speciosa quidem est, sed veritate minime nititur.

Admittenda sunt accidentia realiter à substantia distincta, ipsique inhaerentia.

Anima intellectiva non residet neque in sola glandula pineali, neque in solo cerebro, ejusque corpore calloso; sed essentia sua est tota in toto corpore, quod informat, et in qualibet ejus parte, sua autem virtute, principalius in cerebro, et in corde.

Systema causarum occasionalium neque explicat commercium animæ cum corpore, neque congruit cum Philosophiæ, Fideique dogmatibus.

Systema harmoniæ præstabilitæ, non rectè explicat commercium

cium animæ cum corpore, multisque, ac magnis absurdis viam aperit.

Unde admittendum volumus influxum physicum, ea tamen ratione, qua explicatur à S. Thoma.

### DE PHILOSOPHIA IN COMMUNI.

1 **D**ari Philosophiam: contra Academicos propugnamus; eam tamen in nobis valde imperfectam, fatemur.

2 Rectè illa definitur: cognitio certa &c.

3 Ipsa homini necessaria est ut fideli, ut homini, ut membro reipublicæ.

4 Adæquatè illam partimur, in Logicam cæt.

5 Hujus causa prima efficiens est Deus, à quo sibi infusam primus habuit homo.

6 Fatemur tamen collapsam, ab hominibus restauratam.

7 Finem *cui* Philosophiæ, hominem dicimus: *cujus gratia* proximum, cognitionem veritatis et actionem virtutis: remotum, beatitudinem: ultimum, Deum.

### EX LOGICIS.

8 **L**ogica dividitur in naturalem, et artificialem.

9 Naturalis est: facultas illa, qua homines aliquatenus ratiocinantur: artificialis vero, facultas usu, et studio comparata, qua cæt.

10 Lógica artificialis (nam de ipsa sola loquimur) habet pro objecto materiali res omnes cognitæ; pro formali vero, ens rationis directivum operationum mentis.

11 Scientiam illam esse defendimus, totamque speculativam.

12 In docentem, et utentem partitur; non tamen tamquam in duos habitus, sed tamquam in duo munera ejusdem habitus.

13 Adeo confert scientiis aliis, ut sine ipsa aliæ perfectè haberi nullo modo possint.

- 14 Universale definitur : unum aptum inesse cæt.
- 15 Contra Stoicos , et Nominales tenemus naturas universales mentis conceptibus respondentes ; nec tamen illas à singularibus separatas ponimus.
- 16 Illis non competit universalitas , neque secundum se , neque ut existunt in rebus ; sed solum ut sunt in intellectu.
- 17 Distinctionem universalis Logici , et Metaphysici admittimus : Hoc fieri sola mentis abstractione , illum vero insuper requirere ad inferiora comparationem propugnamus.
- 18 Vulgata divisio universalis in quinque species , genus scilicet cæt. est exacta , et adæquata.
- 19 Universale in communi esse genus ad quinque universalialia , libenter amplectimur.
- 20 Eorum meritò principem locum obtinet genus , quod aptè definitur : unum aptum inesse multis cæt. propriè prædicatur de specie , non ut pars , sed ut totum.
- 21 Alterum ex constitutivis speciei differentia est , quæ rectè definitur : unum aptum cæt.
- 22 Differentia non constituitur universalis per respectum ad speciem , sed ad inferiora speciei.
- 23 Genus , et differentia sumuntur à tota rei entitate , sed si eam diversimodè consideres ; illud quidem ab ea spectata secundum id , quod est in ea potentiale , et commune , hæc vero ab ea , secundum id , quod habet actualius , et magis determinatum.
- 24 Species , quæ ex genere , et differentia consurgit , optimè definitur : unum aptum cæt.
- 25 Ipsam universalem volumus , non ut subjicitur generi , sed ut ad sua inferiora ordinatur.
- 26 In uno individuo species potest stare ; in una vero specie genus non potest claudi.
- 27 Proprium dicimus : unum aptum in esse multis cæt. Accidens vero : unum cæt.
- 28 An , et quomodo universalialia sint perpetua , et quomodo prædicentur , percontanti explicabimus.

29 Vulgata est, ab Aristotele tradita divisio rerum, in decem prædicamenta.

30 Univoca, æquivoca, et analogia inter antepædicamenta recensemus, de quibus, sicuti de aliis antepædicamentis, in circo.

31 Substantia accidentium propria sedes, non constituitur per substare accidentibus, neque per negationem essendi in alio, sed per hoc, quod exigat esse in se: unde definitur: ens in se.

32 Prædicamentum hoc, etsi complectatur omnes substantias creatas; angustum tamen est ut capiat Deum.

33 Substantiam in primam, et secundam dividere placet.

34 Inter cætera accidentia, quæ substantiæ corporeæ adjungi solent, quantitas primas tenet, cujus essentia in extensione partium in ordine ad se reponitur.

35 Quantitas à substantia reipsa distinguitur.

36 Sequitur prædicamentum relationis, quod rectè definitur: accidens cæt.

37 Dari in rebus relationes reales tenemus.

38 Distinctionem relationis in mutuam, et non mutuam amplectimur, illamque terminari ad aliquid intrinsecè relativum formaliter, hanc ad relativum extrinsecè, et terminativè.

39 Unitatem specificam relationis à fundamento simul, et termino; diversitatem vero à cujuscumque diversitate sumi debere volumus.

40 Unitas vero numerica, à subjecto sumitur.

41 Qualitas deffinitur ab Aristotele: accidens secundum &c. à D. Thoma: accidens modificativum cæt: quas quidem deffinitiones tuemur.

42 Species qualitatis sunt, habitus, et dispositio, potentia, et impotentia cæt.

43 Habitus, et dispositionis deffinitionem, et notionem, sicut et aliarum specierum, quærenti dicemus.

44 Actio prædicamentalis definitur: actus secundus cæt., passio vero actus secundus &c.

45 Actio alia est immanens, alia transiens: utraque variè dividitur, de quibus omnibus in palæstra.

46 Ubi dividitur in ubi divinum, et creatum: creatum in definitivum &c. de hujus prædicamenti divissionibus in circo.

Ubi

- 47 Ubi prædicamentale definitur : circumscriptio &c.  
 48 Situs prædicamentale definitur : dispositio partium &c.  
 49 Situs alius naturalis dicitur , alius innaturalis &c.  
 50 Prædicamentum quando sic finitur , accidens resultans &c.  
 51 Habitus prædicamentum definimus accidens cæt.  
 52 Hujus divisionem , sicuti et quando enodabimus.  
 53 Post prædicamenta quinque resercentur ab Aristotele : oppositio , prioritas , &c. quam divisionem amplectimur.  
 54 Oppositionis divisiones , sicut et aliorum postprædicamentorum , volenti explicabimus.

*De Demonstratione.*

- 55 Demonstratio finitur : syllogismus pariens scientiam , vel syllogismus constans cæt.  
 56 Divisionem tritam demonstrationis , in demonstrationem propter quid , et quia amplectimur.  
 57 Proprietates demonstrationis , aut quasi proprietates sunt generare scientiam , et necessitare intellectum ad assensum conclusionis.  
 58 Unde dicimus , quod in demonstratione assensus præmissarum efficienter concurrat ad assensum conclusionis.  
 59 Posito assensu præmissarum demonstratarum , intellectum necessitari ad conclusionem assentiendum , propugnamus.

EX PHYSICIS.

- 60 **V**astissimum motus , et naturæ imperium sub illius scientiæ ditione est , quæ Physica , seu Philosophia naturalis appellatur ; quod de universa rerum natura disputet.  
 61 Quapropter ejus objectum esse ens mobile aimus , ipsamque propriè scientiam speculativam.

*De Principiis rerum.*

- 62 Principia definit Aristoteles : quæ nec ex se invicem , nec ex aliis , sed ex quibus omnia fiunt.

Duæ

## VII

- 63 Duæ sunt præcipuæ dotes , quæ eis debent convenire , simplicitas nimirum , et contrarietas , seu oppositio.
- 64 Quomodo principium , causa , et elementum inter se differant , audies in circo.
- 65 Prima principia statuerunt alii terram , alii aquam , alii aërem , alii ignem , alii vero unico non contenti , quatuor elementa. His sentiis ut non acquiescamus , præfata nos admonet principii definitio.
- 66 Nec subscribere possumus Anaxagore , fictioni , suam *panspermiam* , id est , omnium rerum seminariam massam ut principium agnoscentis.
- 67 Toto Cælo aberrat Epicurus , et si qui alii sunt atomos prima rerum principia constituentes : neque enim sunt atomi ; neque si essent , prima rerum principia esse possent.
- 68 Cartesii de principiis sententia , purum somnium est , purumque figmentum.
- 69 Chemicorum de principiis opinioni non esse acquiescendum censemus.
- 70 Maxime ergo nobis arridet sententia Aristotelis , materiam , formam , et privationem , ut principia entis in fieri , statuentis.
- 71 Entis geniti principia dicimus , solam materiam , et formam.
- 72 Certò certius nobis est , materiam primam dari , quam definimus : primum uniuscujusque rei subjectum &c.
- 73 Non quaras in ea nec actum essentialis , nec actum existentis ; ut puram enim potentiam in genere entis , tibi eam proponimus.
- 74 Materiam primam nec divinitus posse sine forma existere , tenemus.
- 75 Plura disputant Scholastici de materiae unitate , ingenerabilitate , incorruptibilitate , et appetitu. Quid nos opinemur , interroganti aperiemus.
- 76 Ad nauseam provocat aliquos solius formæ substantialis nomen. Nobis et nomen , et res probatur.
- 77 Formæ substantialis notionem habebis , si ipsam dicas , actum primum materiae.
- 78 In compositis corruptibilibus formas fieri per educationem de potentia materiae , negare non possumus.
- 79 Excipe tamen ab iis animam rationalem , quæ utpote incorruptibilis , à Deo creatur.

C

In

## VIII

80 In primæva rerum creatione , formas non fuisse eductas de potentia materiæ , sed simul cum materia creatas defendimus.

81 Ex materia , et forma fit compositum substantiale. Ergo etiam materia est de illius essentia ? optima illatio.

82 Materia , et forma ita sunt sibi invicem cognatæ , ut absque ullo distincto modo , sed solum per suas uniantur entitates.

*De Natura , Violentia , et Arte.*

83 Natura prout ad præsens attinet , sic definitur : Principium, et causa motus et quietis cat.

84 Necessè est naturam , in materiam , et formam dividere.

85 Naturæ violentia opponitur ; unde rectè definitur : cujus principium est extra &c.

86 Motus ille , quem superius agens , nonnumquam imprimit naturæ inferiori , quantumvis insolitus sit , atque diversus ab eo , in quem prona est ; non debet dici violentus , sed potius naturalis.

87 A fortiori igitur motus à Deo creaturæ impressus non erit violentus , sed maxime naturalis.

88 Ars naturæ imitatrix , sic definitur : recta ratio factivilium: Artificiale vero : cujus principium est extrà &c.

89 Formas artificiales non posse esse principia motus , licet eum adjuvare possint , propugnamus.

90 Si tamen ars utatur virtutibus naturalibus , applicando , ut ajunt , activa passivis ; potest efficere opera , et motus naturæ.

91 Plures verò naturæ effectus cognoscimus , quos arti impossibiles judicamus ; inter quos præcipuè verum aurum enumeramus.

*De Causis.*

92 Præcipua scientiarum cura , in investigandis rerum causis occupatur. Causa ita itaque definitur : ad quam sequitur esse alterius.

93 Vulgatam causæ divisionem , in materialem , formalem &c. libenti animo amplectimur.

94 Omnem causam suo effectu priorem esse saltem naturæ , ut ait schola , prioritate , tenemus.

Cau-



### VIII

95 Causa materialis , et formalis intrinseca , sunt minus nobiles quam effectus : finalis principalis in agentibus bene ordinatis nobilior effectui : efficiens principalis nobilior effectui , vel saltem æque nobilis.

96 Si vero nobilitatem earum inter se desideras ; causalitas formalis est nobilior materiali : efficiens nobilior utraque : finalis demum omnium nobilissima.

#### *De Causa materiali et formali.*

97 Causæ rationem non adquirunt materia , et forma ex aliquo sibi addito ; sed ex propria habent entitate.

98 Causalitas quoque materiæ , et formæ nihil addit earum entitati ; sed est ipsamet utriusque , sese mutuò afficientis , entitas.

99 Duæ sunt ad materiæ , et formæ causalitatem actualem conditiones requisitæ : influxus nimirum causæ efficientis , et materiæ , tum præviæ , tum concomitantes dispositiones.

100 Causa idealis definitur : ad quam respiciens Artifex operatur.

#### *De Causa efficienti.*

101 Ritè definitur causa efficiens : principium extrinsecum , à quo primò profluit motus.

102 Variæ sunt causæ efficientis divisiones , quas percontanti exponere non gravabimur.

103 Non defuisse , qui substantiis corporeis rationem principii activi substraxerint , nullus est , qui ignoret ; nos verò , contrarium cum D. Thoma tenemus : quapropter illi effectus , qui in mundo experiuntur , sunt veræ earum effectiones.

104 At quodnam est principium , quo substantia corporea suos producit effectus ? Audi : Forma substantialis est prima radix omnium actionum naturalium.

105 Si actio ad aliam formam substantialem terminetur , tunc forma substantialis , est virtus non modo radicalis ; sed etiam principalis : accidentales verò formæ , ad hanc actionem concurrentes non merentur nomen virtutis primariæ ; sed secundariæ , et quasi instrumentariæ.

Subs-

106 Substantia creata non est immediatè operativa ; sed principium proximum operandi est accidens.

107 Quid sit causalitas causæ efficientis , quidve dimanatio interroga.

*De instrumentis Causæ efficientis.*

108 Causa agens in virtute alterius , dicitur instrumentum , cujus divisionem audies in circo.

109 Adeo proprium est instrumento , quod moveatur à causa principali ; ut si moveret non motum , amitteret rationem instrumenti.

*De Causa Finali.*

110 En paucis notio causæ finalis : cujus gratia aliquid fit.

111 Fini , veræ , et realis causæ rationem merito tribuimus : de ejus divisione interroga , si placet.

112 Malo sub ratione mali ratio finis non convenit , solum ergo bonum verum , vel aparens finis rationem habere potest.

113 Bonitas ipsa finis est ei tota causandi ratio : ad quam tamen bonitatis apprehensionem , ut conditionem , requirimus.

114 Opus quodcumque naturæ est opus intelligentiæ : ergo agentia purè naturalia, saltem executive , propter finem agunt.

115 Bruta animalia perfectius agunt propter finem ; nempe non solum executive ut naturalia ; sed etiam quasi apprehensive.

116 Cave tamen , nè tantam eis tribuas perfectionem , ut etiam directivè propter finem agere contendas.

117 Homines propter finem agere directivè , quicumque in se ipso experitur.

118 Eundem effectum posse à duabus causis totalibus ejusdem ordinis produci , sive simul , sive divisim , negamus.

119 Fortuna , et casus definiuntur : causæ per accidens efficientes cæt.

120 Fatum cum Angelico Doctore dicimus : ordinatio causarum secundarum cæt.

*De Motu, actione, et passione.*

- 121 Definitionem motus traditam ab Aristotele, qua dicitur: actus entis in potentia cet., libenti animo amplectimur.
- 122 Actionem, passionem, et motum licet entitativè idem sint; modaliter distingui volumus.
- 123 Motus in passo, seu mobili subjectatur.
- 124 Placet nobis opinio tenens actionem formaliter transeuntem subjectari in passo.
- 125 Si actionem, aut relative sumas, aut pro formalitate illa qua virtus activa transfertur de actu primo ad secundum, placet illam subjectari in agente.
- 126 Extrema inter quæ fit motus, ipsius termini vocantur, qui quidem triplicem conditionem volunt: latitudinem succesivè decurrendam, quod sint positivi, et quod opponantur aliquomodo contrariè.
- 127 Ergo neque ad substantiam, neque ad relationem, neque ad actionem, passionem, situm, habitum, quando, datur per se motus.
- 128 Tria ergo solum sunt prædicamenta, ad quæ datur per se motus, quantitas, qualitas, et ubi.
- 129 Unitas, et distinctio tum generica, tum specifica motus sumitur à termino, ad quem tendit: unitas autem, aut distinctio numerica ex unitate subjecti, termini, et temporis.
- 130 Contrarietas motuum oritur ex oppositione terminorum.
- 131 Idem mobile non posse simul affici motibus per se contrariis, ut certum tenemus.
- 132 In locali motu tria distinguenda dicimus: vis motrix, loci alternatio, determinatio tum motus, tum vis motricis ad hunc, aut illum locum.
- 133 In rectum, circularem, et mixtum dividere motum naturalem, nobis placet; contrarium licet dicat Cartesius.
- 134 Gravia deorsum moveri impetu intraneo, illis à natura indito, concors est Peripateticæ Scholæ sententia.
- 135 Vim elasticam aeris ipsi putamus intrinsecam, et innatam: aliorum vero corporum, spirabili corpori poris incluso, presso aut tenso, tamquam causæ tribuimus.

136 Motus in natura experimur quotidie, quibus alia aliis accedere, alia ab aliis recedere affectant: Illos ab intraneo, atque à natura insito, impetu oriri asserimus.

137 De vi magnetica, deque diversis, quos elicit, motibus audies interrogans.

138 Projecta à motore separata moventur impetu illis à projectante impresso.

139 De motu pendulorum, ejusque origine; nec non de causa accelerationis motus cujusque naturalis loquar rogatus.

### *De Infinito.*

140 Infinitum nihil est aliud, quam id, quod fine caret. Duplex est: actuale, seu categorematicum, et potentiale, seu sincategorematicum: quorum notiones præbere non gravabimur.

141 Infinitum potentiale locum habere in creaturis, constat.

142 At actuale, præter Deum Opt. M. nullum agnoscimus.

143 Repugnat creatura secundum essentiam infinita.

144 Frustra quæras magnitudinem, seu extensionem, quæ actu infinita esse possit.

145 Multitudinem actu infinitam non speres invenire.

146 Demum qualitatem actu infinite intensam impossibilem judicamus.

### *De Tempore.*

147 De tempore acturi, meritò cum Augustino dicere possumus: quid sit tempus, si nemo quærat à me, scio: si quærenti explicare velim, nescio: ut tamen aliquam ejus notitiam habeamus, finimus durationem: permanentiam rei in esse.

148 Vulgatam divisionem durationis in æternitatem, ævum, et tempus admittimus.

149 Temporis definitionem, qua dicitur: numerus, seu mensura cæt. aimus esse bonam.

150 Tempus non est præsens ratione partis, sed solum ratione instantis.

*De Loco, & Vacuo.*

151 Definitionem loci traditam ab Aristotele, qua dicitur superficies prima immobilis cæt. libenter amplexamur.

152 Ut duo corpora penetrentur, naturaliter fieri posse negamus; divinitus possibile asserimus.

153 Etiam per miraculum fieri posse non videtur, ut idem corpus sit in pluribus locis præsentia circumscriptiva, et quantitativa.

154 Probatur nobis opinio illa, quæ omne vacuum, tam coacervatum, quam disseminatum, à natura profligat.

155 Nihil tamen prohibet, à Deo posse induci vacuum.

*De Continuo.*

156 Continuum definit Aristoteles: quod est divisibile in semper divisibilia.

157 Ipsum non constare solis indivisibilibus, ut voluit Zeno, sed partibus semper divisibilibus, sustinemus.

158 Neque tamen excludimus à continuo vera indivisibilia, sed ea, tum terminativa, tum continuativa, in ipso admittimus.

*De Conditionibus motus.*

159 Admittimus tamquam verum Axioma illud: omne, quod movetur, ab alio movetur.

160 Non admittimus dari actionem in distans; sed requiritur, ut agens passo jungatur, vel supposito, vel saltem virtute per medium diffusa.

*De Mundo.*

161 Mundus ab Aristotele definitur Compages &c. non quidem mundus archetypus, et idealis, sed exemplatus, et ideatus.

162 Non unum, sed plures esse, plerique dicere sunt ausi; nobis tamen certum videtur, mundorum pluralitatem merum esse figmentum, nullo innixum fundamento.

163 Non negamus, si Dei potentia spectetur, plures existere posse.

Qui

164 Qui autem existit perfectus est, quod nihil ei desit, ut sit omnibus numeris absolutus.

165 Circa mundi originem mirum quam immaniter erraverint Philosophi: nos tamen Sacrae Scripturae innixi testimonio, eum in tempore factum pronunciamus.

166 An verò potuerit esse ab aeterno? concertatio est in scholis, à qua nos expedimus dicentes, entia permanentia ab aeterno existere potuisse; successiva non item.

*De Cælo.*

167 Cælorum substantia non est eadem ac elementaris, sed naturæ longè diversæ, nobiliorisque.

168 Cælum esse animatum perperam censuit non nemo.

169 Corruptibilitatem cælorum se veluti palpasse, jactitant RR. nos tamen stamus cum Aristotele, et D. Thoma pro incorruptibilitate naturali eorum.

170 Hanc incorruptibilitatem dicimus convenire Cælis, etiamsi fluidi ponerentur.

171 Hactenus probabilis est opinio ponens, Cælos esse solidos.

172 Numerum cælorum ad decem mobiles, et unum immobile protendimus.

173 Sydera alia dicuntur errantia, alia fixa; errantia sunt Saturnus, Jupiter cæt.

174 Fixarum numerum ille solus novit qui condidit, non esse tamen infinitum dicimus.

175 Sol Planetarum pulcherrimus non est substantiæ igneæ.

176 Non modo solem lucere luce propria, sed etiam stellas fixas, asserimus.

177 Planetæ lucem illam, qua oculos nostros percellunt, à sole mutuuntur.

178 Stamus adhuc pro veterum opinione, corpora caelestia validissimè agere in hæc inferiora, putantium.

179 Hunc influxum dicimus esse non solum per lucem, et calorem ex ea consequentem, sed etiam per alias virtutes, quæ sensibus percipi nequeunt.

180 Non tamen ideo putes, non egere applicari ab Intelligentiis.

In-

181 Influxus caelestes directè non agere in voluntates hominum adversus Astrologos Judicarios propugnamus.

182 Sphaeræ armillaris notionem, circulos, puncta, eorum situm, atque munerum, roganti exponemus.

*De Mundo Elementari.*

183 Mundus elementaris dicitur, quidquid intra cavitatem cæli Lunæ continetur.

184 Quatuor sunt elementa, seu majora corpora: Terra, aqua, aer, et ignis.

185 Elementorum situs est, ut terra sit in centro, aqua supra terram, aer supra aquam, et ignis supra aerem.

186 Ignem volumus absolutè levem, terram gravem, aquam gravem respectivè, et aerem levem.

*De Mundi Systemate.*

187 Tria precipuè fuere mundi systemata, Ptolemaicum, Ty-chonicum, et Copernicanum.

188 Systema copernicanum terram mobilem faciens, nullatenus admittendum dicimus.

189 Tychonis systemati, etsi tolerabilius sit copernicano, nolumus acquiescere.

190 Ergo Ptolemaico? sed neque huic omnino adarendum putamus.

*De Generatione, et Corruptione.*

191 Dari generationem substantialem contra R. R. propugnamus.

192 Est ne actio distincta ab alteratione? Pro illa opinione stamus, qua statuitur esse unam, et eandem actionem.

193 Formam substantialem dicimus terminum quo generationis, et etiam naturam totalem.

194 Si verò quæras de termino *qui*, scito, ipsum esse suppositum, seu personam.

195 Materiam in corruptione substantiali, ita volumus spoliari; ut non solum nulla forma substantialis in illa remaneat; sed neque ulla accidentalis.

196 Accidentia, quæ secum defert forma genita, verè dispone-  
re dicimus ad ejus receptionem in subjecto.

*De Alteratione.*

197 Alteratio propriissimè sumpta finitur : mutatio ad qualita-  
tem disponentem cat.

198 Species alterationis in genere tres distingui volumus : altera-  
tionem specialiter dictam, intensionem, et remissionem.

199 Alterationem proprie talem fieri effluxu quodam substantiali  
agentis in passum, visum fuit Epicureis ; Nobis non ita ; sed propa-  
gatione, seu productione similis qualitatis alterativa.

200 Intensionem qualitatis fieri nolumus per depurationem à con-  
trario, nec per destructionem prioris, et substitutionem perfectioris.

201 Ergo fieri dicemus per adventum novæ partialis qualitatis?  
non ita, sed per adventum novi modi perfectioris.

*De Mixtione.*

202 Mixtionem finimus cum Aristotele : unionem miscibilium al-  
teratorum cat.

203 Non solum possibilem ; sed etiam de facto dari dicimus mix-  
tionem ex elementis omnibus.

204 Forma mixti perfecti non est mera contemperatio elemento-  
rum, sed ab iis distincta entitas absoluta, et substantialis.

205 Formæ substantiales elementorum non manent in mixto per-  
fecto.

206 Rarefactionem dicimus esse motum ad raritatem, et conden-  
sationem motum ad densitatem.

207 Simile non agit in simile formaliter ut simile.

208 Propugnamus etiam, activitatem agentis debere esse mayo-  
rem resistentia passi, non quidem activa, sed passiva.

209 In mutuo conflictu agentis, et patientis, necesse est, ut agens  
repatiatur à passo, modo adsint conditiones requisitæ.

*De Elementis.*

210 Elementum definitur : corpus simplex, ex quo mixta cat.

211 Elementa ægre quidem, absolute tamen invicem transmutari  
possunt ; faciliùs simboldum in aliud sibi simboldum.

Qua-



XVII

- 212 Qualitates elementorum alia dicuntur primariae aliae secundariae.
- 213 Qualitates primariae sunt quatuor vulgo nota: calor, frigus, humiditas, et siccitas.
- 214 Calor non est motus, nec lux, nec ignis substantia, sed accidens sui generis, quod potest definiri: qualitas prima cat.
- 215 Frigus definitur: qualitas prima congregans cat.
- 216 Humidum definitur: quod propriis terminis ægrius cat. siccum vere è contrario.
- 217 Elementum ignis finitur: corpus simplex calidissimum cat.
- 218 Ignis alius dicitur purus, alius impurus, de quibus in circo:
- 219 Definitur aer: corpus simplex humidum, ac mediocriter calidum; Aqua corpus simplex humidissimum frigidum, Terra corpus simplex maximè frigidum, siccum, densum, et grave.

*De Meteoris.*

- 220 Meteorum idem est ac sublime, et elevatum, quatuor genera meteororum assignantur. Vapores aquei, et exalationes terrestres meteoris materiam præbent.
- 221 Ignea meteora sunt: Fulmen, Fulgur, Tonitru, Ignes fatui, et Lambentes cat. quorum genesim explicabo.
- 222 Meteora aquea hæc annumerantur: Nubes, Pluvia, Ros, Prui-  
na, Nix, Grando, cat. de quibus rogati.
- 223 Meteora emphatica sunt: Iris, Halo, Virgæ, Parhelium cat. de quibus in circo.
- 224 Inter meteora aera venti recensentur, quorum causam, sicut et terræmotuum, qui inter terrea meteora recensentur, assignabo.

*De Anima.*

- 225 Anima definitur: actus primus corporis physici organici cat.
- 226 Vulgatam divisionem animæ in vegetativam, sensitivam, et rationalem, libenti animo amplectimur.
- 227 Contra Okamum tenemus, in vivente, etsi plura vitæ genera contineat, non esse nisi unicam animam.
- 228 Formam substantialem, non nisi unicam, in quovis composito admittimus.
- 229 In vivente præter formam totalem, non sunt aliae partiales substantiales.

Ani-

230 Anima perfectorum animalium est indivisibilis : at plantarum, et imperfectorum quorundam est divisibilis.

231 Sanguinem perfectum animari anima totius, propugnamus.

232 Capilli, dentes, et ungues animantur anima totius : idem de pilis, setis, cornibus, unguis, plumis, cæt.

233 Lac tamen, et semen anima totius negamus informari.

234 Potentiæ vitales specificantur ab actibus, et objectis, ab illis quidem proximè, ab his verò remotè.

*De Anima Vegetativa.*

235 Anima vegetativa definitur actus primus cæt.

236 Animam vegetativam convenire plantis volumus, nullatenus sensitivam.

237 Potentia vegetans definitur : Principium proximum transmutandi cæt.

238 Divisionem facultatis vegetativæ in nutritivam, augmentativam, et generativam admittimus.

239 Potentia nutritiva finitur : vis conversiva alimenti cæt.

240 Non acquiescimus Magistro sententiarum dicenti, nihil alimenti verti in substantiam hominis.

241 Facultas augmentativa definitur : principium proximum cæt.

242 Potentiam generativam definimus : facultas convertendi cæt.

243 Medium, quo utitur natura in generatione viventium, est semen, quod quidem non est ex una corporis parte decisio, neque ex singulis : sed ex purissima succi alimentaris parte, ad generationis finem accuratius elaborata.

*De Anima Sensitiva.*

244 Definitur anima sensitiva : actus primus corporis physici organici cæt.

245 Species, quibus perficitur sensatio non sunt commotiones fibrarum, aut spirituum : nec vana quædam spectra, quibus nihil tale correspondeat in rebus ; sed formæ intentionales objectorum, quæ sensu percipiuntur.

246 Neque volumus has species esse sensibus naturaliter inditas.

247 Democritus, et Epicurus tenuerunt, species sensibiles esse  
subs-

### XVIII

substantialia effluvia objectorum , minus tamen verè.

248 Dividuntur sensus in externos , et internos.

249 Sensus externi quinque sunt : Visus , Auditus , Odoratus , Gustus , et Tactus.

250 Objectum sensus externi est sensibile singulare , præsens , localiter extensum , in debita distantia.

251 Sensibile est triplex , proprium , commune , et per accidens.

252 Sensibile immediatè positum supra sensum non potest sentiri.

253 Sensibile excellens non destruit sensum actione intentionali , sed actione physica , seu alterativa.

254 Internos sensus esse dicimus : sensum communem , imaginationem , cæt.

#### *De Anima rationali.*

255 Anima rationalis definitur : actus primus corporis physici organici cæt.

256 Animam rationalem esse spiritualem , contra Materialistas propugnamus.

257 Ergo ipsam dicemus immortalem ? optima illatio.

258 In anima rationali duplex est potentia : intellectus , et voluntas.

259 Intellectus definitur facultas perceptiva veritatis , seu entis , sub ratione veri.

260 Divisionem intellectus in agentem , et patientem admittimus ; unde volumus , reverà dari intellectum agentem.

261 Objectum intellectus humani , pro statu vitæ hujus , est quidditas rei materialis , seu sensibilis , et ea , quæ ex sensibilibus deduci possunt.

262 Voluntas finitur : Appetitus rationalis.

263 Ipsam esse ignobiliorem intellectu simpliciter , cum D. Thoma tenemus.

#### EX ETHICIS.

264 **M**oralem , scientiam dicimus esse , eamque omnino practicam.

265 Necesse judicamus dari aliquem totius humanæ vitæ finem ultimum.

F

Hu-

266 Hujusmodi autem humanæ vitæ finis ultimus definitur : quem propter se tantum volumus , cætera vero propter ipsum.

267 Impossibile est homines plures ultimos fines , simul , et semel habere.

268 Divisionem felicitatis in objectivam, et formalem admittimus, atque illa quidem est , res , qua felices sumus , hæc vero consecutio illius rei.

269 Felicitatem hominis objectivam nolumus esse , neque in divitiis , neque in honoribus , neque in gloria , neque in fama , neque in potestate.

270 Deplorandus sane error Libertinorum , suam ultimam felicitatem , in voluptatibus corporis constituentium.

271 Unde in nullo bono corporis felicitas hominis objectiva consistit ; sed neque in virtute , etsi ea ad felicitatem pertineat.

272 Ergo in solo Deo felicitas hominis consistit.

273 Perfectam beatitudinem , seu felicitatem naturalem obtinere non possumus in hac vita , sed ea reservatur alteri meliori.

274 Potest tamen homo etiam in hac mortali vita aliqualem beatitudinem obtinere.

275 Beatitudo formalis non consistit essentialiter in pluribus actibus , neque in actu voluntatis , sed intellectus.

*De Voluntario.*

276 Voluntarium definiimus ex Aristotele , cujus principium est ab intrinseco , cum cognitione finis.

277 Violentiâ penitus voluntarium perimit , quæ tamen talis est, nempe sufficiens , et absoluta.

278 Metus minuit quidem voluntarium , non tamen omnino tollit.

279 Concupiscentia non tollit , sed potius facit voluntarium.

280 Divisiones voluntarij percontanti dabimus.

281 Libertatis etiam variæ sunt divisiones , de quibus interrogati.

282 Indifferentia est : qua unum perinde se habet ad plura : variè etiam dividitur.

283 Indifferentiam non esse de ratione libertatis arbitrii tenuit Jansenius , falso tamen.

284 Objectivam indifferentiam volumus requiri ad libertatem arbitrii , non autem moralem.

*De*

285 Moralitas consistit formaliter in ordine, quem ratio facit in actibus liberis.

286 Essentialiter dividitur moralitas in bonitatem, et malitiam.

287 Dari actus secundum suam speciem, indifferentes, ultro fatemur; id autem negamus de actibus in individuo consideratis.

288 Prima, et remota regula humanorum actuum est lex aeterna; proxima, et immediata, ratio humana.

289 Conscientia definitur à D. Thoma: Judicium intellectus, quo quis applicat suam scientiam practicam ad actum particularem.

290 S. Thomas definit legem: ordinatio rationis, ab eo, qui praest, communitati promulgata.

*De virtutibus in communi.*

291 Virtutem cum S. Augustino definimus: Bonam qualitatem mentis, qua rectè vivitur, et nemo male utitur.

292 Omnis virtus moralis est in medio posita.

293 Virtute morali nemo per se, ac propriè abuti potest.

294 Triplex est subjectum virtutis moralis: Intellectus practicus, voluntas, Appetitus sensitivus.

*De Virtutibus in particulari.*

295 Prudentia, lux agendorum, ars rectè vivendi, definitur ab Aristotele: Recta ratio agibilium.

296 Justitia, rerum publicarum genitrix, custos, et moderatrix, definitur: habitus secundum quem aliquis cat.

297 Judex tenetur judicare juxta allegata, et probata, etiam contra propriam scientiam.

298 Temperantia, corporis, et animæ salus, definitur ab Aristotele: Mediocritas in voluptatibus corporalibus.

299 Fortitudo, Heroum propria dos, definitur: Mediocritas inter timorem, et praudentiam constituta.

300 Legi naturali repugnat occisio sui ipsius: nec proinde actus fortitudinis esse potest.

301 Virtutes morales in statu quidem imperfecto non invicem connectuntur; bene verò in statu perfecto.

## EX METAPHYSICIS.

- 302 **M**etaphysica existit, eaque est facultas ab aliis distincta.
- 303 Objectum ejus materiale, est ens reale, prout comprehendit creatum, et increatum, substantiam, et accidens; formale vero est communis ratio entis abstracti ab omni materia.
- 304 Metaphysica est verè, et propriè scientia, seu cognitio demonstrativa.

*De principiis entis.*

- 305 Principium definit S. Thomas: A quo aliquid procedit.
- 306 Principium aliud est compositionis, aliud generationis, et aliud cognitionis.
- 307 Principium cognitionis est, cujus notitia in alterius cognitionem ducit.
- 308 Principium hoc aliud est complexum, aliud incomplexum.
- 309 Primum cognitionis principium complexum istud est: Impossibile est, idem simul esse, et non esse.
- 310 Principia Metaphysica entis constitutiva sunt, ex quibus ens, ut ens, constituitur, atque hæc præcipuè sunt duo: actus et potentia.
- 311 Actus est: perfectio quædam: potentia vero dicitur: ad actum, seu principium actus.
- 312 Utriusque varias divisiones explicabimus.
- 313 Ens dicitur absolutè, et primariò possibile, ex non repugnantia ad essendum, secundario vero, et respectivè ex omnipotentia Dei.
- 314 Inest creaturis potentia obediens passiva ad actum, naturæ vires excedentem, à Deo habendum.
- 315 Non tamen est in ipsis potentia obediens activa, ad effectus, naturæ vim excedentes, operandos, absque additione virtutis intrinsecæ.
- 316 Agentia creata sunt in potentia passiva obediens, ut eleventur à Deo per virtutem illis additam, ad effectus, naturæ vires excedentes.

*De Ente secundum se.*

317 Ens dicitur à D. Thoma : Id cujus actus est esse : ejus divisiones enodabimus.

318 Ens non dicitur univocum respectu Dei , et creaturarum , substantiæ , et accidentis.

319 Ergo analogum , tum analogia attributionis , tum proportionalitatis , cum non sit purè æquivocum.

320 Essentia definitur : cujus actus est esse ; existentia verò : actus essentiæ.

321 In omni ente finito , et creato , essentia reapse distinguitur ab existentia , ut potentia à suo actu.

322 Subsistentia est actualitas , qua natura ita sustentatur in se ipsa , ut non indigeat communicari alteri : hujus suppositum est veluti concretum.

323 Persona definitur à Boetio : Rationalis naturæ individua substantia.

*De Proprietatibus entis.*

324 Proprietates entis , tres vulgo annumerantur : unitas , veritas , et bonitas.

325 Unum dicitur , ens indivisum in se , et divisum à quolibet alio ; unde essentialiter significat entitatem , ut connotat negationem divisionis.

326 Unitas præcipuè videtur esse triplex : generica , specifica , et purè numerica.

327 Unitas , et multiplicatio purè numerica substantiarum , oritur à materia quantitatem connotante.

328 Accidentia desumunt suam unitatem numericam à subjecto formaliter sumpto.

329 Distinctio alia est realis , alia rationis. Realis alia major , alia minor , et alia virtualis , de quibus interrogati.

330 Non admittimus distinctionem Scoticam inter formalitates ejusdem rei.

331 Gradus Metaphysici non distinguuntur actu in re , ante omnem mentis operationem , sed tantum virtualiter.

332 Veritas in genere definitur : Adæquatio rei , et intellectus.

333 Veritas transcendentalis , seu rei , est ipsa rei entitas , non præcisè sumpta , sed prout dicit ordinem ad intellectum , præcipuè divinum.

334 Veritas formalis , seu cognitionis , non consistit in prima mentis operatione , sed in secunda.

335 Bonum definitur ab Aristotele : quod omnia appetunt.

336 Bonum convenit rebus in ordine ad existendum : unde res non dicuntur bonæ , nisi ut dicunt ordinem ad existendum.

*De Ente spirituali.*

337 Existentiam Dei naturaliter demonstrari posse , contra Atheor-  
tuemur.

338 Deus creavit omnia , etiam materiam primam.

339 Nulla creatura potest creare per modum causæ principalis.

340 Neque potest creatura esse instrumentum physicum ad crea-  
tionem.

341 Dari dicimus in universo substantias incorporeas , quas An-  
gelos vocamus.

342 Angeli intelligunt per species à Deo infusas.

343 Intellectus , et voluntas insunt animæ separatae formaliter ;  
potentiæ vero sensitivæ , solum radicaliter.

344 Anima separata retinet habitus , et species cognitionum ,  
quas habuit in hac vita.

*De Influxu Dei in causas secundas.*

345 Deus non solum potest causas necessarias physicè præmovere  
ad agendum , sed etiam causas liberas.

346 Non solum dedit Deus , et conservat virtutes activas causa-  
rum secundarum , et cum ipsis concurret ad agendum , sed etiam  
eas ad agendum applicat , applicatione prævia , et physica.

347 Deus etiam causat actionem peccati , physicè præmovendo  
ad illam , non ut mala est , sed præcisè ut actio est.

*De Accidentibus spiritualibus , præcipue de scientia.*

348 Virtus intellectualis definitur : habitus determinans intellec-  
tum , ad attingendum cat.

Di-



349 Divisionem virtutis intellectualis, in intelligentiam, sapientiam, scientiam, prudentiam, et artem amplectimur.

350 Earum definitiones, volenti explicabimus.

351 Scientia dividitur, in speculativam, et practicam, subalternantem, et subalternatam cæt.

352 Quælibet scientia est una simplex qualitas, seu unicus habitus, perficiens intellectum circa omnes conclusiones hujusmodi scientiæ.

353 Diversitas generica scientiarum sumitur ex diversitate abstractionis à materia, quam dicit objectum scientificum.

354 Unitas specifica cujuslibet scientiæ sumitur ex unitate principiorum.

355 Etsi actus scientiæ, et opinionis non possint se compati, tamen quam optimè possunt actus opinionis, et habitus scientiæ.

356 Cum S. Thoma dicimus, actum scientiæ, et actum fidei, non posse simul esse in eodem intellectu de eodem objecto.

357 Habitus fidei, et habitus scientiæ non possunt simul esse in eodem, respectu ejusdem; benè tamen habitus fidei, et actus scientiæ, modo talis actus nullum producat habitum.

*Vt. Fr. Vincentius Ballester,*  
Studiorum Regens.

*Dr. Joseph Antonius Balaguer,*  
R. U.

*Vt. Balaguer,*  
Cens.Reg.

Imprimatur,  
*Pareja.*

350. In actu scientiae, voluntas explicat in actu  
 351. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 nantur, et subalternantur. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 352. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 353. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 354. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 355. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 356. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 357. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 358. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 359. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 360. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-

361. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 362. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 363. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 364. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 365. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 366. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 367. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 368. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 369. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 370. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 371. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 372. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 373. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 374. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 375. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 376. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 377. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 378. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 379. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-  
 380. In actu scientiae, in speculativa, et practica, subalter-

Handwritten text in blue ink, mostly illegible due to fading and bleed-through from the reverse side of the page.

